

III.

NEOVIDENSIS

Nro 13. (*Neovidensis* 1805. Nro 9.)

---

Ex campis Elysiis.

*Sermo Politicus*

*De recenti modo se vestiendi.*

---

*Elysium -- Meum.-- Die Veneris 15. Febr. 1805. (Neov. 29. Jan.)*

---

Sententia :

*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

*Pater noster.*

Temporibus celeberrimi persecutoris omnium religiosarum opinionum Marchionis *d'Argens* quidam Chinensium venit in Europam, & Mandarinum Chin Kung suas observationes de moribus Europæorum submitit; quod in sensu philosophico idem significat, ac nullum adfuisse Chinensem, sed Marchionem *d'Argens* suos impetus in doctrinam Christianam velo Chinensi texisse.

In quadam epistola a Chinensi peregrino ad Mandarinum Chin Kung data, vehementer ille miratur, apud Angios in more esse positum, ut in oratione dominica *Pater noster* pro pane quotidiano supplicetur: — Panem nostrum quotidianum da nobis hodie! Nulla,

inquit, natio habet pauciora motiva panem quotidianum precandi, atque Anglicæ, hæc etenim natione nulla alia minus vescitur pane. Quapropter illi magis conveniret in hunc modum fundere preces: Frixam carnem bubulam da nobis hodie.

Et quid adhuc amplius? Apud homines elegantiores nutrimentum minimam efficit partem, magis illi captant artificiosum indumentum, & mundiorem cubiculorum apparatus, & plus in ista expendunt, quam in vitæ sustentationem. Simili itaque precatione utantur, oportet: Nostram splendidam habitationem da nobis hodie. Et ad quas obtestationes convertantur mulieres? — Nostrum novum nos vestiendi modum da nobis hodie.

Profecto a pluribus jam, quam 50. annis invehimur in luxum, & præcipui Politici omni contentione id agebant, ut lex vestiarum introduceretur. Hoc nomine intelligendum est decretum, quo superflui sumtus in vestitu tollantur, determineturque, qua ratione quælibet civium classis se vestire debeat, & quantum de auro, argento, unguibus, & similibus in ornatum vestium adhibere ausit.

Legem vestiarum in civitate non tantum esse utilem, sed etiam necessariam, demonstrant complura argumenta. Primum immi-  
nuendæ sunt, quantum fieri potest, inutiles impensæ, ex his enim caritatem rerum consequi necesse est, eas enim agricola, & ci-

vis ex pretio rerum divenditarum recuperare intendit. Deinde exportatio pecuniæ, seu ita dictum commercium passivum præcavendum est. Præterea ad distinguendos diversos in societate civili Status, & dignitates necessaria sunt signa externa. Denique docet experientia, in regnis, in quibus obtinet accurata lex vestitum præscribens, plurimos inveniri cives opibus abundantes, dum in aliis hoc salutari ordine destitutis paupertas nova in dies capit incrementa. Incolæ tradunt suas pecunias mercatori, & accipiunt pro quinque Imperialibus merces, quæ vix valent tres, atque intra paucos annos penitus intereunt. Mercator autem perceptas pecunias mittit in externas regiones, unde fit, ut pecunia ex circulatione extracta, progressu temporis ipsum regnum ad incitas redigatur.

Quapropter vestimenta subditorum sunt magni momenti objectum pro Imperante de commodis suorum populorum sollicito, pertinentque ad præcipuam Politicæ curam. Non sufficit vero, sumtus vestium auctis teloniis, & vectigalibus imminuere, nam vanitati detiti ista persolvendo eo magis eosdem multiplicant. Post statutam autem se vestiendi normam nullatenus detur locus pretio pro dispensationibus pendendo, tunc enim lex vestiaria plus noceret, quam prodesset.

Jam in Capitularibus Caroli Magni de A. 808 reperiuntur præscriptæ vestimentorum regulæ; & quamdiu adhuc in Germanico Imperio de publica disciplina in Co-

mitiis consultabatur, tamdiu insignes in hoc genere latæ sunt constitutiones, inter quas præcipue commemorari merentur, quæ anno 1580 Augustæ Vindelicorum, & A. 1577, Francofurti lucem publicam aspexerunt. Ex quo tempore autem administratio rei publicæ uniuscujusque Principis arbitrio relicta est, in plerisque germanicis ditionibus ordo se vestiendi, licet incommodo, obsolevit. Interea negari nequit, existere diversas Imperii Germanici terras, quæ utilissimis idmodi institutis glorianur.

Ante plures annos factum est in Svecia experimentum, & Lex vestiaria sancita, verum ejus custodia paulo post refrixit. Hinc luculentum est, manufacturas Anglicas non tantum in aliis mundi partibus, sed in ipsa etiam Europa dominari, iunituntur enim vanitati hominum. Cum vero humanæ manus in Anglia non potuerint omnes merces per orbem universum distribuendas parare, pro nendo, & texenda materia substitutæ sunt machinæ tales, quæ una die plus profecerunt, quam mille homines, eo fine, ut ex toto mundo aurum in Angliam pertrahatur.

Interim inventio earundem machinarum, quæ Angliam amplissimis augment opibus, industriam Anglicam reddet supervacaneam in aliis regnis. Ejusmodi machinæ habentur jam in Gallia, & Austria, eapropter absque spiritu prophetico licet propugnare, has machinas intra spatium 50 annorum ita fore communes, ut, quod nunc præstant Angliæ, præstituræ

sint idem aliis regnis. Sic tandem quælibet regio ope machinarum suppeditabit suis habitatoribus omnem vestium vanitatem, sic evadet Anglica industria superflua, sic denique Anglici fabricatores, quibus machinis locupletati sunt, iisdem ad egestatem deducuntur.

Atque novus se vestiendi modus, quo homines tantopere afficiuntur, poterit internam Regni promovere utilitatem; verum subiciendus est supremæ inspectioni, & sollicite indagandum, an conducat valetudini, vel eidem obsit, & an in ipso Regno haberi possit. Hac de causa erigatur in qualibet Provincia Tribunal pro dijudicandis vestibus, exempli gratia:

Præsideat vir, & fœmina, habeantque diversos utriusque sexus assessores; cum primis autem a decentia, & repentina vestium mutatione nota deligatur auctoritate præcipuarum in Aula mulierum, quæ omnem habeat mundi muliebris inspectionem.

Quodsi alicubi novus corporis habitus inveniatur, aut ex Anglia, vel Gallia, aut alio quopiam regno adferatur, vel peculiaris mutatio invalescat, dictæ Inspectrici ante proponatur, quam aliqua ausit in simili amictu publice apparere.

Porro huic Præsidi incumbat, post maturam deliberationem, & prolatam ab assistentibus in Tribunali mulieribus opinionem, Decretum edere, quo sexui fœminino integrum sit, hoc, aut illo genere vestitus uti.

Denique pro ejusmodi novitatibus inducendis debitum assignetur tempus, quo illæ in proprio Regno possint præparari, & omnibus severissime sub pœna reprehensionis vetitum sit, simile quid ex aliis provinciis invehere.

Cæterum, dum hæc fiant, oportet universalem in Europa pacem restituere, quæ tamen videtur removeri, uti ex sequentibus patescit.

*Londono 9 Jan.* Ab hesterna die possumus affirmare, quonam in statu versemur cum Hispanis. Manifestum suæ Catholicæ Majestatis sustulit tandem omnem dubitationem, in qua hæctenus fluctuabamus: interim hæc belli declarationem eo animo excepimus, ut ne minimum quidem doloris sensum pepererit. Pecuniæ publicæ exiguum quid de suo pretio amiserunt. Legatus Hispanicus cras, vel adhuc hodie se itineri accinget.

Ministro H. vkesbury est impositum, ut respondeat ad Hispanicum Manifestum; sine dubio debeat omnes ingenii vires intendere, ut excuset factum nostri Ministerii. In Anglia nihil est facilius, quam causam conjicere in despotismum maris, cui tota nostra existentia innititur. Reipsa eo jam sumus prolapsi, ut tota natio possit injustitiæ argui. Ut enim possimus tributa pendere, & nationalia expungere debita, devehendæ nobis sunt mer-

ces per orbem universum, & omnes populi tributarii reddendi. Præcipua Antimanifesti capita heri sunt discussa, prodibuntque adhuc ante finem hujus hebdomadæ; cæterum eorum rescindendorum nemo tenetur magno desiderio, jam enim nota sunt argumenta, quibus in simili casu uti solent politici. Manifesta sunt pars Aulicarum ceremoniarum. Etiam divisionem Poloniæ præcesserunt manifesta.

A quo tempore certum est bellum cum Hispanis, turmatim confluent homines ad Collegium rei navalis, ut obtineant facultatem naves prædatorias construendi. Nunquam sunt observati tot privati homines voluisse prædando suam fortunam experiri; sub amplissimis promissionibus conquiruntur nautæ. At Collegium navale festinat lente, videtur velle spolia maritima pro aliquo adhuc tempore soli Regi tanquam jus regale reservare.

Quod Portugalliam attinet, nihil adhuc certi possumus affirmare. Ex ultimo cursore intelleximus, hoc regnum in pactione cum Gallia, & Hispania inita sibi stipulatum esse neutralitatem erga solvendam certam summam pecuniariam. At nostra plurimum interest etiam hic palam profiteri illud: Qui non est nobiscum, contra nos est.

*Parisiis 24 Jan.* In hodiernis officiosis Ephemeridibus sub articulo: *Meaiolanum*, legitur sequens scriptum, quod Austriacus Tri-



bunus Legisfeld ad Gallicum Generalem Gardanne, primæ Divisionis Gallici exercitus in Italia existentis Præfectum dedit Verona 31 Dec. Domine Generalis! Sua Majestas Imperator, & Rex jussit præsidium limitaneum duci ad fluvium Athesim, ut diffusio grassantis in He-truria infirmitatis præcaveatur, qua de causa mihi a Sua Excellentia Supremo belli Præfecto, Comite Bellegarde impositum est, ut Dominum Generalem certiore redderem: has præcautionis regulas, quæ cras 1 Jan. 1805 executioni mancipabuntur, nullum alium finem habere, quam quem jam insinuavi, & de quo uberiora sciri possunt ex adnexo Cæsarei Edicti exemplo. Cum omnibus stationum Præfectis severissime interdictum sit, committere aliquam actionem, quæ posset bonum ordinem, atque commercium in admissis utriusque ripæ locis quoquo modo impedire, nullus dubito, quin conformiter intentionibus suæ Cæsareæ, & Regiæ Majestatis concordia, quæ inter utrumque Gubernium viget, porro etiam conservanda sit. Indulgeat Dominus Generalis, ut hac occasione debitam existimationem, & reverentiam contester &c.

Romanus Pontifex pristinam valetudinem iterum recuperavit. Heri consveto tempore in suo domestico sacello sacris est operatus.

Omnes Archiepiscopi Galliæ, qui Vaticanæ purpuræ honore carent, in numerum Honorariæ legionis membrorum sunt adlecti,